

AGNELLI
VITA
SANCTI PROCULI.
CAPUT UNICUM.

Sancti Proculi mores, & obitus, Sepulcrum dubium.

DE SANCTO PROCULO.

Proculus V. Hic pius fuit, velut pater in filios, & plures ad Ecclesiastica crebro viscera complectebat, & suae praedicationis dulcedine velut mellitus se se populo tribuebat, & sicut lactis sitientibus pocula ministrabat. In senectute positus capitis canities gratia repletus Sacerdotium cum vita finivit, & ubi ejus sit sepulcrum ignoro. Ambiguitas est mihi, utrum in Basilica B. Probi sit conditus, an in Sancti Eleucadii Confessoris (1) Sedit autem annos mens. dies

A beus tamen testatus, & ipse sepulturae incertitudinem, addit; id constat obiisse sub id ferè tempus, quo Hyginus, qui Telesphoro in Pontificatu successerant, obruncatus est, eique successor datus Pius Aquilejensis, quemadmodum Procuro apud Ravennates, Probus. Unde autem id constet, minimè dicit; Fabrus verò part. 2. hæc habet latino sermone; reddita Proculus post decem in Pontificali munere exactos annos, ætate demum labente, vitam cum morte commutavit anno centesimo quadagesimo secundo, sedente in Pontificali Romana sede Telesphoro eodem anno suffecto Xysto hujus nominis primo, ac imperante Antonino Pio prima Decembris die. Unde hæc sumpserit, nec iste docet. Incerta proinde omnia.

OBSERVATIONES
AD VITAM

SANCTI PROCULI.

Dies emortualis S. Proculi incerta.

Agnellus nil de anno, dieve, quibus cepit, finivive Pontificatum Proculus rescivit, & quod in margine Codicis de prima die Decembris adnotatum est, recentioris manus est parergon. Ru-

VITA
SANCTI PROBI.
CAPUT UNICUM.

S. Probi miracula, mors, & sepultura. Ecclesia speciali cultu habita.

DE SANCTO PROBO.

Probus VI. mitis, & pius, clarus in specie, fulgidus in opere, sapiens eloquiis, prudens corde, plenus gratia Spiritus Sancti. Quicumque languidus ad eum venire potuisset, suis orationibus salvus revertebatur, quacumque fuisset infirmitate detentus, & spiritus immun-dos expulit, atque (2) catervarum corpora sauciata, vel dissoluta solidabat. Postquam sua ad occasum vita, angelica conspexit agrina, statim sancta elapsa est de Corpore anima quarto Idus Novembris. Deinde cunctus lugendo populus cum nimia Corpore ejus reverentia sepe-livit, & sepulcrum ipsius apud nos veneratur usque in præsentem diem, & illius Ecclesia sita est in partibus Orientis. Et in nullis Ecclesiis (3) infra Civitatem Ravennæ, Classifive Missa super populum celebratur, nisi in ista-

C sola. Aedificata est jam dicta Basilica juxta Ardicam Beatæ Euphemie, quæ vocatur ad mare, quam nunc demolitam esse videmus. Sedit autem annos mens. dies

OBSERVATIONES
AD VITAM

SANCTI PROBI.

Chronicon Pseudo-dextri confutatum. Rubens multifario impugnatus. Quid Missa super Populum?

D **E**t hic quammaxime fabularum monstra profliganda sunt. Paulum Apostolum, quod promiserat ad Rom. 15. scribens, in Hispanias venisse,

(1) prima die Decembris. Bacch.
(2) forte catervarum. Bacch.

(3) idest intra; & ita passim in toto Opere. Bacch.